ORATIONES DVAE
DE DIVO IOANNE
EVANGELISTA

Habitæ in Capella Pontificia ſub Pont. Maximis, Sixto V. & Innocentio IX.

PER DIDACVM DEL CASTILLO
Salmanticen. Doctorem Theologum.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM
DOMINVM LVCIVM SAXVM
EPISCOPVM RIPANVM

SVMMORVM PONT. VRBANI VII.
GREGORII XIIII. INNOCENTII IX.
Datarium meritiſſimum.

Nunc autem S. D. N. CLEMENTIS VIII.



R O M AE,
Ex Typographia Aſcanij & Hieronymi Donangeli.
M. D. XCII.

ILLVSTRISS.^MO ET REVEREND.^MO DOMINO D. MEO LVCIO SAXO EPISCOPO RIPANO,

SVMMORVM PONT. VRBANI VII. GREGORII XIIII. INNOCENTII IX. Datario meritißimo.

Nunc autem S. D. N. CLEMENTIS VIII.

DIDACVS DEL CASTILLO SALMANTICEN. Doctor Theologus, Perpetuam exoptat felicitatem.

SVNT ita insignia tua in me promerita (Illustrißime domine) vt hoc licet exiguum munus mearum lucubrationum tibi aussus sim dedicare, vt aliquam animi mei tibi deditißimi significationem exhiberem: cui tamquã Optimo Mecenati, quid quid in me est, siue ingenij, siue etiam ipsius vitæ, & honoris merito debeam consecrare. Iacueram in tenebris intra priuatos parietes fere per octo annorum spatium in hac orbis gentium amplißima vrbe; Tu tamen, cui honestatis, & rectitudinis ratio fuit semper cordi, qui & generis splendore, incredibilique virtute, sed præcipue æquitate, plurimũ vales. (etiã si certe fatear nihil in me esse, quod sit laude & existimatione dignum) animũ tamen meum tuo patrocinio erexisti, honoribus me cumulasti, & qua in bonos omnes vteris liberalitate, me ipsum non mediocriter

auxisti. Accedit quòd Deus optimus Maximus, qui in sua mirabili dispositione non fallitur, his calamitosis temporibus, Ecclesiæ suæ supremũ dedit pastorẽ [a] clementẽ & benignũ sanctitate & litterarum monumentis illustrem, in quo vere dici posit, quòd iustitia & pax osculatæ sunt: Qui omnem adhibet diligentiã inter alia egregia & illustria facta, quæ nulla vnquã delebit obliuio, nulla posteritas cõticescet, vt Ecclesiastici redditus viris virtute & litteris præexcellentibus omni postposito humano fauore, te electo ad hoc integerrimo ministro, summa cum laude cõferantur. Quod quantũ Reipublicæ Christianæ, profuturum sit facile omnes boni contemplari possunt. Deus optimus tantum Pontificem nobis incolumen seruet, & te ipsum virum illustrissimum, vt supremis honoribus insignitũ Te, omnes boni videãt, vt magna ex hoc lætitia afficiãtur. Sed vere maior hæc gloria est, quod talia in Te, sint virtutum omnium merita, & animi ornamenta quæ Te ipsum tali reddant supremo dignum honore, quàm inter Ecclesiæ proceres connumerari, si honestate & virtute careres. Accipe igitur has duas homilias in laudem S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, & licet exiguum munus sit, tamen magnum apud omnes habendum erit, quod tanto viro, fuerit consecratum, vale Idibus Februarij. 1592.

S. D. N. CLEMENS VIII.

ORA-

ORATIO SIVE CONCIO HABITA IN DIE DIVI IOANNIS EVANGELISTAE

CORAM SANCTISSIMO DOMINO Nostro Sixto Quinto, per Didacum di Castillo Salmanticen. Doctorem Theologum.

EA est (beatissime Pater) horum dierum veneranda, sanctaq. lætitia, tantum omnium gaudiũ, tanta alacritas, vt vel cœlestes illi spiritus, & Angelorum chori diuinis gloriæ hymnis pueri nobis dati natalem diem, angelico concentu celebrare non desistant. [a] Quantum ergo inquit Leo ille diuinus, lætari debet humilitas hominum, cum tantum gaudeat sublimitas Angelorum? Sed ad huius gloriæ & gaudij amplitudinem spectat sanctorum triumphus, clarissima merita, inaudita felicitas, & maiestas. Sicut enim [b] ad Dauidis Encomium attinebat, vt fortium virorum quorum ipse Princeps erat, nomina insigniaq. facta, honorifica mentione colerentur: Dauid sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus, sic post delicati ac tenerrimi Principis [c] nobis nati decantatam gloriam, præclara fortium virorum facinora laudibus sunt efferenda. Hic [d] etenim Rex Regum & Dominus dominantium cœlestes illos Proceres summo vult honore affici, & egregiam illorum victoriam, rerumq. gestarum magnitudinem & splendorem, ingenti Christiani populi lætitia memoria sempiterna cõmendari. [e] Gaudeamus & exultemus (inquit sacer Ioannes) & de-

a Leo serm. 1. de natiuit.
b 2. Reg. 23.
c Esaia. 9.
d Apocal. 18. & 19.
e Apoc. 19.

& demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi vt cooperiat ſe Byſsino ſplendenti & candido. Byſsinum enim iuſtificationes ſanctorum ſunt. Sed enim cum iuſtorum eximia merita, & præmia in omnium oculis referuntur, ingens eſt fideli populo cauſa lætandi. Quòd ſi cum Sanctorum feriæ, dieſque feſti aguntur, laudatur [a] Deus in ſanctis ſuis, magnaque fit gaudij & alacritatis acceſsio; profectò dies hæc haberi debet celeberrima & optatiſsima, in qua [b] dilecti Ioannis ſacratiſsimum triumphum nobis proponit Eccleſia: Qui cũ æterno Verbo præ aliis dulciter charus & amicus extiterit, magnumq. apud ipſum ſit aſſecutus in cœlis gradum honoris, eius apud nos ſolemnis memoria in terris ſumma exultatione debet illuſtrari. Cum autem huius ſanctiſsimi viri amplitudinem, & gloriam paulo attentius libet contemplari; celebre illud Regis [c] Aſſueri factum venit in mentem, quod in ſacro Ioanne expreſſum eſſe cumulatiſsime video. Is enim Mardochæo illi tantopere de ſe bene merito, quemq. ipſe honoribus proſequi cupiebat, id honoris ſtatuit, vt veſte regia ornatus, impoſitoque Diademate, equo regio in mediam totius ciuitatis lucem veheretur, Aman nequiſsimo acclamante, Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare. Nonne & ille de quo dicitur [d], Quo modo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris: vel inuitus acclamare cogitur inſtar Aman, diuinum Ioannem tali eſſe dignum honore, & æterna, qua potitur felicitate? Nonne & Diadema ſuper caput eius [e], qui cùm ſummi doctoratus & virginitatis meritis effulſerit, tum præclaræ ſapientiæ aureola corona meruit cohoneſtari: tum ſibi alteram non minus inſignem obtinuit, debitam ſcilicet virginitati? Huic enim quia caſtitate maxime excelluit Chriſtus dominus in ſuo illo acerbiſsimo agone [f] chariſsimam ſimul & mæſtiſsimam matrem de alta cruce reſpiciens, tanquam dilecto præ aliis diſcipulo fide-

[a] Pſal. 150.
[b] Ioan. 19. 21.
[c] Eſther 6.
[d] Eſaiæ 14.
[e] Sap. 5.
[f] Ioan. 19.

fideliter commendauit, virginique discipulo custodiendam virginem sacratissimam tradidit[a]. Nonne & corona etiã aurea[b] de lapideq. pretioso super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis? dum immortalem martyrum lauream, & si in tormentis non perierit, comparauit, cum inspectante Roma in ardens oleum demersus diuq. igne cruciatus purior, & vegetior exijt; postea in insulam Pathmos relegatus? Equo etiam regio vehebatur (equus enim Christi regis insignis animi eius dimissio est) qui summa cœlestiq. animi summissione præditus[c] cum nobili esset genere natus, quã ob causam tẽpore Christi cruciatus notus dicitur Pontifici, in pauperum numerum præclarum duxerit cooptari, & diuini magistri inhærens vestigiis[d] cordis discere humilitatem? Princeps quidem ille Regum Christus Iesus cum[e] ciuitatem illam amplissimam magna comitatus caterua Hebræi populi regia acclamatione, incredibiliq. alacritate intrauit, non feroci aut impatienti equo ferebatur, non triumphali curru & armatorum militum manu stipatus, sed asinæ insidens vt admirandum humilitatis nobis exhiberet exemplum. At cùm nuptiali thalamo naturam sibi copulauit humanam, & quod[f] numquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam & manibus esse tractabile, dum se diuinum ipsum verbum, morti tradidit vt totum genus seruaret humanum, regali veste indutum, immensa scilicet dilectione & charitate hominibus se præbuit manifestum, vt memores huius excessus & eximij amoris[g] nos etiam vestiti & non nudi inueniamur, &[h] diligamus etiam quia ipse prior dilexit nos. Nonne & hac veste auro, gemmisque micante B. Ioannem ornatum licet intueri? qui inter reliquos discipulos dilecti meruit sibi nomen & gloriam vindicare? Hic[i] est discipulus quẽ diligebat Iesus[k], Puer Israel, & dilexi eum. Cui enim discipulorũ Christus dominus plura exhibuit signa dilectionis? aut quæ sunt in aliquo orna-

a Eccli. 45.
b Psal. 20.
c D. Hieron. Epist. 16. ad Principiam, to. 1.
d Matth. 11.
e Matth. 21. Marci 11. Lucæ 19.
f Leo serm. 1. de natiuit.
g 2. ad Corinth. 5.
h 1. Ioan. 4.
i Ioan. 21.
k Osea 11.

menta virtutũ, quæ non in vno Ioanne cumulata reperiantur? ipse Apostolus, Euãgelista, Martyr, Doctor[a], virginitate potens, prophetiæ dono sublimis, ipse æterno verbo a secretis extitit, ipse[b] ascẽdit in montẽ Thabor, ipse in sacratissima cœna Christo proximũ locum obtinuit, quippe qui supra pectus Domini in cœna recubuit, ipse Christum interrogat quod alij non audẽt[c]. Domine quis est qui tradet te? In[d] Resurrectione citius Petro præcucurrit, ac denique omnibus amoris & beneuolẽtiæ officijs cõdecoratur. Ex quo quantum Sãctissimus Ioannes charitate flagrauerit, facile erit perspicere. Decebat etenim (Beatissime Pater) vt qui Christianæ Reipublicæ gubernacula (onus Ætna grauius) suscipere debebat, qui puppim regere clauumque tenere, is virtute dilectionis maxime excelleret. Quamobrem Princeps Apostolorum Petrus, prius æquis diligenter ponderibus libratur an charitate superet alios Apostolos, quàm ei Pontificia auctoritas concedatur[e]. Diligis me plus his? pasce agnos meos. Quid aliud rubri isti colores? Quid purpurea vestis, nisi amorem internũ, charitatemque ardentem designant, qua tanquam regali veste ornati Apostolorum successores debent præfulgere? Quod[f] si Ephesi Episcopus egregiis virtutibus excultus acriter repræhenditur apud Ioannem, quòd charitatis feruorẽ amiserit, & illi dicitur, Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam: sin autem veniam tibi citò & mouebo candelabrum tuum de loco suo; quid illi fieret si peccati turpitudine obcœcatus omnino à charitate defecisset? Nec decet solum charitate florere, sed crescere necesse est. Sancta enim illa quatuor[g] animalia, quorum pennæ iunctæ erant alterius ad alterum, in quo illorum charitas designatur, non reuertebantur cum ambularent. Etenim in via domini non progredi regredi est. Quæ[h] retro sunt obliuiscens ad priora extẽdens me ipsum ad destinatum persequar brauium æternæ vocationis. Sed

vt cò

[a] D. Hiero. de scriptoribus Ecclesiasticis & lib. 1. aduersus Iouinianum.
[b] Matth. 7.
[c] Ioan. 13.
[d] Ioan. 20.
[e] Ioan. vlt.
[f] Apoc. c. 2.
[g] Ezech. 1.
[h] Ad Philip. 3.

vt eò reuertatur, vnde nostra digressa videtur oratio; meritò beatissimus Ioãnes inter duodecim Apostolos cum [a] Iosepho inter duodecim Patriarchas debet comparari: dilectus præ ceteris Ioseph Patri, etiam ergæ Ioannem insignis fuit indulgentia Redemptoris: vterque exul: & Ioseph castitate insignis, & Ioannes hac etiam virtute sublimis: Iosepho dedit pater partem vnam extra fratres suos, & Ioanni contigit etiam modo quodam excellentiori pars vna extra fratres suos Apostolos, videlicet Prophetiæ donum. Ad hoc enim munus subeundum Ioannes in Apocalypsi [b] ascendit. Vocatur semper ad sublimia Iòannes, siue in monte, vbi [c] specimen Christus aperuit immortalitatis: siue in cœna, dum supra pectus illud recubuit [d], vbi sunt reconditi thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei: rapitur supra seipsum [e], ascenditque in libanum, & medullam cedri tulit; id est interna rerum arcana vt totum orbem suo vaticinio illustraret. Verè Aquila hæc diuina volatu, ascendit [f], dum Verbum esse in principio, & quod Deus erat Verbum contemplatur, & iam capta altissima & nobilissima præda Christi diuinitatis in terris, ea fruitur indissolubili vinculo in cœlis. Et vt ad instar dilecti [g] Beniamin duplicem præ aliis haberet portionem, cum sacer dilectus è vinculis corporis euolauit, mox piè creditur reuocatus a morte, corpore etiam immortali, sicut & beatissima Maria trãslatus in cœlum. Sic inquam (Beatissime Pater [h]) sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare, sic [i] coronabitur qui legitimè certauerit. Hæc sunt illa merita quibus hominum vita breuissimis circumscripta finibus ad infinitam memoriam propagatur: hæc iustorum præmia, quæ vt nullo magnitudinis termino clauduntur, ita nullo ætatis spatio terminantur: sed cùm virtute sint quodammodo infinita, ita duratione sunt æterna. Hic beatorum triumphus, & quæ nec mente, nec cogitatione adumbrari potest felicitas.

[a] Genes. 37.
[b] Apoc. c. 4.
Lucæ 9.
[c] Matth. 17.
Ioan. 21.
[d] Ad Coloss. 2.
[e] Ezech. 17.
[f] Ioan. 1.
[g] Genes. 45.
[h] Hester 6.
[i] 2. ad Timoth. 2.

O beatiſsime Ioannes, Te ipſum iam hac æterna felicitate fruentem appello, Te ipſum iam æternæ gloriæ trophæis inſignem deprecari non deſinam; vt opem nobis obtineas diuinam, qua rerum cœleſtium cupiditate mirabiliter inflammati, ſic vitam hunc noſtram mortalem inſtituamus, vt eiuſdem gloriæ participes effecti, immortali in æternum perfruamur.

DIXI.

ORATIO SIVE CONCIO HABITA IN DIE DIVI IOANNIS EVANGELISTAE

IN CAPELLA PONTIFICIA SVB S. D. N. Innocentio IX. P. M. per Didacum di Castillo Salmanticen. Doctorem Theologum.

Constituerat B. P. summus ille rerum opifex Deus hominem, quem suam effigiem multo consilio expressam esse voluit, in eo honoris & dignitatis gradu, vt in omnia, quæ infra cælum sunt, regiũ principatum teneret, pauloque [a] minor ab Angelis effectus gloria & honore incredibili, omnes sibi subiectas naturas continens, earum virtutibus quasi coronatus incederet. Sed cum hæc erga ipsum apparerent, diuinæ beneficentiæ & largitatis argumenta [b], prima illa peccati labe coinquinatus est, quæ repens ac serpens per omnium quasi stirpium radices [c], fructus vitiauit vniuersos, totamque lætali veneno naturam infecit. Ex quo illa abiecta humique prostrata suũ splendorẽ & gloriam obscurauit, homoque miser e gradu illo dignitatis, quem paulo ante summa cum laude obtinuerat deturbatus [d], cõparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis [e]. Optabat propterea vehementer Sponsa ab hac sibi inusta infamiæ nota eripi, in pristinumque honoris & dignitatis gradũ vindicari. Optabat vt Verbũ illud, quod [f] in principio erat apud Deum, & in sinu Patris, quasi in abditis penetralibus, in forma Dei latebat hominẽ indueret, geminamque naturam in vnam colligaret Hipostasim, vt sub serui [g] habitu in similitudinem

Gene. 1. & 2.
[a] Psal. 8.
[b] Genes. 3.
[c] Rom. 5.
[d] Psal. 8.
[e] Expositio illius loci cãt. 8. quis te mihi det fratrẽ meum suggẽtem vbera matris me.
[f] Ioan. 1.
[g] Rom. 8.

carnis

carnis peccati incommutabilis Deus a cælo [a] peregre in huius mundi agrum profectus foras [b] ex Augustissimo thalamo virginis egrederetur [c]; pannis quæ inuolutus inter acta conditus præsepia vagitus ederet, sugeretque vbera matris, per [d] quem nec ales esurit; & hominum [e] frater factus homo [f] in terris consþiceretur, atque inter homines familiariter versaretur. Optabat deinde solum diuinum Verbum foris inuenire, non Patrem, nec Spiritum sanctum (solum inquam) quoniam ad subsistentiam solius Verbi natura humana euecta est; ac denique ipsum deosculari exoptabat, vt [g] vtraque natura in suis proprietatibus permanente, tanta fieret vnitatis communio, vt quicquid ibi est Dei, non esset ab humanitate disiunctum; quidquid autem est hominis, non esset a Deitate diuisum: & iam, inquit, fiet, vt nemo me despiciat [h]; Ad tantam etenim gloriam, & maiestatẽ assumpta est in diuino Verbo humana natura, vt quo altius attolleretur non haberet. Ideo in hoc solemni triumpho humanæ naturæ, in hac die lætitiæ, in qua licet oculis intueri Diuinum illum Regem [k] Salomonem diademate insignitum, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius [i]; Angeli [l], imo & Angelorum exercitus suauissimo concentu, & harmonia modulantes cælo gloriam, & terris pacem exaudiuntur: stella [m] nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior aliis pulchriorque syderibus facile in se intuentium oculos, animumque conuerteret: qua [n] sapientes Reges ad præsepe ducti, nullo iniqui Regis timore perculsi ad pedes eximiæ illius humanitatis prostrati, preciosissimaque munera offerentes diuinum illi exhibent honorem: vt vere dictum sit, *Quod iacebat in præsepio, & fulgebat in cælo*. Et iam nemo [o] me despiciat: Non tantum quoniam humana natura in Christo maximum splendorem & gloriam assecuta est, sed etiam quoniam toti hominum posteritati à suauissimo Dei filio magna cælestium bonorũ honoris & dignitatis increméta,

a Matth. 25.
b Cant. 8.
c Lucæ 2.
d Sedulius de Christi natiuitate.
e Paulus ad Heb. 2. nam nõ cõfunditur fratres nos vocare quia ipse dicit nuntiabo nomen tuũ fratribus meis. Psal. 21
f Baruch. 3. & Ioan. c. 1.
g D. Leo. ser. 8. de natiuitate.
h Cant. 8.
i D. August. in lib. de prædestinat sanctorum.
k Cant. 3.
l Lucæ 2.
m D. Leo ser. 1. de Epiph.
n Matth. 2.
o Cant. 8.

tanquã à perenni bonorum omniũ fonte, sunt ita affluenter naturæ cõmunicata, vt[a] vbi abundauit delictum superabundauerit & gratia. Quod in vno sanctissimo Ioanne, cuius festum hodierna die anniuersario ritu celebrat Ecclesia, contemplari possumus expressum. Ipse enim & Apostolorũ dignitatem, &[b] Euangelistarum gloriam, maximamque auctoritatẽ adeptus: Martyrum corona insignitus, diuinique Doctoris nomẽ, Propheticumque lumen consequutus, meruit etiam Virginũ aureola omniumque gratiarũ genere amplificari[c]. Dedit siquidem Christus quosdam Apostolos, quosdam autẽ Prophetas, alios vero Euangelistas, alios vero Pastores & Doctores ad cõsummationẽ Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: sed hæc omnia cælestia dona in vno dilecto Ioanne Christus cumulatissime coniunxit. Cuius animus in diuino illo Christi pectore, tam eximium amorem ebibit, ea sibi Christum Ioannes charitate deuinxit, vt cõmuni omnium acclamatione diceretur Discipulus[d] quem Dominus diligebat. Nec mirũ, nam si in amore & beneuolẽtia mutuã animi cõiunctionẽ expectes, ipse supra pectus[e] Domini in cæna recubuit: magnũ certe amoris & charitatis monimẽtum in celebri illo, & grandi conuiuo, in quo sacrum Mysteriũ, & admirabile[f] Sacramentum est institutum, sic esse Christo proximum ac coniunctũ. Non audet[g] Baptista sacrũ Domini caput contingere[h], Magdalena cum timore & tremore sacros pedes tãgit[i], Thomas, nisi iussus, manum non admouet ad latus; Ioãnes autẽ vt dilectus non petita venia in[k] sinu Christi recubit. Si in amore voluntatũ cõsensum cõsideres, ipse ad Domini[l] vocãtis nutũ desertis parẽtibus, abiectoque omni instrumẽto artis, quo vsque ad eum diẽ victitarat, nihilque de suo statu solicitus, totũ se domini cõmisit volũtati. Si argumẽtum est singularis amoris, magnũ alicui credere thesaurũ, præciosissimũ, & singulare de quo toti⁹ mũdi pretiũ sumpsit, Ioãni[m] Christus cõmendauit

a Roma. 5.
b D. Hiero. lib. 1. aduersus Iouinianum prope mediũ.
c Ephes. 4.
d Ioan. 13. 20. & 21.
e Ioan. 13.
f Matth. 26.
g Matth. 3.
h Lucæ 7.
i Ioan. 20.
k Ioan. 13.
l Matth. 4.
m Ioan. 19.

Castis-

[a] Matth. 16.

Castissimam suam matrem ac virginē [a]. Legauerat Dominus Petro claues Ecclesiæ, cōmisit Ioanni custodiam Mariæ: vtrique matrē tradidit, vtrique cælū: Mater Christi Maria, Ecclesia mater Christiani populi. Dicit Dominus Petro: Tibi dabo claues regni cælorū. Numquid Beata Maria cælum non fuit, in qua tota plenitudo diuinitatis permāsit, quæ clausit vtero suo, quem cæli capere non poterāt? Tantum igitur diuinus Ioannes virtute castitatis excelluit, vt tali fuerit dignus honore, & eximiam hanc præ aliis beneuolētiam sibi conciliauerit Redemptoris. Maxime enim gaudet hic dilectus Ecclesiæ inter virgines versari, ac mente, & corpore incorruptos [b], qui pascitur inter lilia florescandidissimos, quo vitæ puritas, & castitas designatur. Quorum primis Ecclesiæ temporibus magna fuit copia Christo gratissima, vt etiam numerosissimam postremis temporibus fore à Ioanne prædictū est in [c] Apocalypsi, cui visus est Christus in specie agni supra montem Sion stare, centum quadraginta quatuor millibus stipatus, quorum concentus edebat vehementem sonum, qualis existit ex multarúm aquarum impetu, cum saxis aut rupibus illissæ franguntur; aut tamquā vocem tonitrui magni, sed harmoniæ & suauitatis plenissimam, & eam sicut citharizantium in citharis suis. Illorum enim sonus, vocesque gratissimæ ad aures Agni immaculati accidūt [d], qui in carne degentes, extra carnem vixerūt, qui cum non sint cum mulieribus coinquinati sequuntur Agnum quocumque ierit. Sed non modo per honorificum; verum etiam vtile Ioanni fuisse videndum est, quod eius fidei Dei mater honorifico [e] filij iusso fuerit commissa, tantoque tēporis spatio, cum ipsa commoratus ipse fuerit. Si olim [f] Deus Obededom larga benedictione cōpleuit, quod in suam domū arcam Domini recepisset, qui veram fæderis, & propitiationis arcā, Dei videlicet matrē, tot annos apud se habuit, quam existimauimus benedictionem, afluentemque diuinæ gratiæ

[b] Cant. 6.

[c] Exponitur caput Apoc. 14.

[d] Rom. 8. 2. ad Cor. 10.

[e] Ioan. 19.

[f] 1. Reg. 12. 2. Reg. 6.

tiæ copiam fuiſſe conſequutum? Si amorem ſummum excitat pro amico aduerſa tollerare, nam [a] qui amicum poſsidet in tentatione debet eum poſsidere, Ioannes [b] aſtitit iuxta crucem Chriſto morienti, exilium in inſula Pathmos pro Chriſto, fideque ſuſcepit, acerbum ac lætale poculum lætus [c] ebibit, doliū feruentis olei incredibi virtute ſuperauit. Si denique beneuolentiæ ſignū eſt occulta atque arcana aperire, quæ Chriſtus apatre didicit, & [d] nō ſeruis ſed Apoſtolis magna ſibi familiaritate cōiunctis Chriſtus libentiſsime credidit: dum tamen omnes velut ventorum turbine pro cognoſcendo magiſtri ſui proditore ſolliciti agitarentur [e], eum ſoli Ioanni indicauit. Neque hoc tantum, ſed dum ſupra pectus recubuit, in quo ſunt reconditi theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quam ſcientiam hauſsit, quàm variam, ſublimem, diuinā? Iam non miror, P.B. ſi [f] reconditum Trinitatis myſterium præ omnibus expreſsit. Aquila enim, teſte Ezechiele [g], erat deſuper ipſorum quatuor, ſi abditiſsimum Dei conſilium de futuro Eccleſiæ ſtatu per varia temporum curricula vſque ad extrema, cæleſti quodam lumine illuſtratus edidicit atque deſcripſit, librum ſiquidem ſapientiæ, immo & ſapientiam ipſam deuorauit, id eſt mente & cogitatione percepit. Habebat etenim magnus conſilij Angelus [h], quem Ioannes vidit, nube ſcilicet humanitatis amictū, & iris arcus propitiationis in capite eius, quia Deus [i] erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, habebat inquam in manu librum ſcientiæ & præſcientiæ Dei: quo (vt ſibi impoſitum fuerat deuorato) [k] impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ipſumque dulcedine quadā ſicut mellis, dum in ore eius eſſet, affecit [l]; dulcia enim faucibus eloquia Dei ſicut mel ori dicit Dauid. Attamen tunc cum imminentia Eccleſiæ mala illi inter alia ſunt reuelata, & veluti digito demonſtrata, ad ventrēque peruenerunt, hoc eſt intellectu altius conſiderarentur: cæpit amaricari, id eſt indignatione quadā & ſollicitudine angi

[a] Eccleſ.6.
[b] Ioan.19.
[c] Hiero. lib. 1. aduerſus Iouinianum refert hoc ex Tertuliano.
[d] Ioan.15.
[e] Ioan.13.
[f] Ioan.1.
[g] Ezechiel.1.
[h] Exponitur caput. Apoc. 10.
[i] 1. Corint.5.
[k] Eſaiæ.11. Eccleſiaſt.15.
[l] Pſal.118.

ORATIONES DVAE
DE DIVO IOANNE
EVANGELISTA

PER DIDACVM DEL CASTILLO
Salmantinum. Doctorem Theologum.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM

SVMMORVM PONT. VRBANI VII.
GREGORII XIIII. INNOCENTII IX.
Datarium meritissimum.



ROMAE.

Ex Typographia Aloisij & Hieronymi Donangeli.

M. D. XCII.

ILLVSTRISS. MO ET REVEREND. MO

DOMINO D. MEO LVCIO SAXO EPISCOPO RIPANO,

SVMMORVM PONT. VRBANI VII. GREGORII XIIII. INNOCENTII IX. Datario meritissimo.

Nunc autem S. D. N. CLEMENTIS VIII.

DIDACVS DEL CASTILLO SALMANTICEN. Doctor Theologus, Perpetuam exoptat felicitatem.

SVNT ita insignia tua in me promerita (Illustrissime domine) vt hoc licet exiguum munus mearum lucubrationum tibi aussus sim dedicare; vt aliquam animi mei tibi deditissimi significationem exhiberem: cui tamquã Optimo Mecenati, quid quid in me est, siue ingenij, siue etiam ipsius vitæ, & honoris merito debeam consecrare. Iacueram in tenebris intra priuatos parietes fere per octo annorum spatium in hac orbis gentium amplissima vrbe; Tu tamen, cui honestatis, & rectitudinis ratio fuit semper cordi, qui & generis splendore, incredibilique virtute, sed præcipue æquitate, plurimũ vales. (etiã si certe fatear nihil in me esse, quod sit laude & existimatione dignum) animũ tamen meum tuo patrocinio erexisti, honoribus me cumulasti, & qua in bonos omnes vteris liberalitate, me ipsum non mediocriter

auxisti. Accedit quod Deus optimus Maximus, qui in sua mirabili dispositione non fallitur, his calamitosis temporibus, Ecclesiæ suæ supremũ dedit pastorẽ [a] clementẽ & benignũ sanctitate & litterarum monumentis illustrem, in quo vere dici possit, quòd iustitia & pax osculatæ sunt: Qui omnem adhibet diligentiã inter alia egregia & illustria facta, quæ nulla vnquã delebit obliuio, nulla posteritas cõticescet, vt Ecclesiastici redditus viris virtute & litteris præexcellentibus omni postposito humano fauore, te electo ad hoc integerrimo ministro, summa cum laude cõferantur. Quod quantũ Reipublicæ Christianæ, profuturum sit facile omnes boni contemplari possunt. Deus optimus tantum Pontificem nobis incolumen seruet, & te ipsum virum illustrissimum, vt supremis honoribus insignitũ Te, omnes boni videãt, vt magna ex hoc lætitia afficiãtur. Sed vere maior hæc gloria est, quod talia in Te, sint virtutum omnium merita, & animi ornamenta quæ Te ipsum tali reddant supremo dignum honore, quàm inter Ecclesiæ proceres connumerari, si honestate & virtute careres. Accipe igitur has duas homilias in laudem S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, & licet exiguum munus sit, tamen magnum apud omnes habendum erit, quod tanto viro, fuerit consecratum, vale Idibus Februarij. 1592.

S. D. N. CLEMENS VIII.

ORA-

ORATIO SIVE CONCIO HABITA IN DIE DIVI IOANNIS EVANGELISTAE

CORAM SANCTISSIMO DOMINO *Nostro Sixto Quinto, per Didacum di Castillo Salmanticen. Doctorem Theologum.*

EA est (beatissime Pater) horum dierum veneranda, sanctaq. lætitia, tantum omnium gaudiũ, tanta alacritas, vt vel cœlestes illi spiritus, & Angelorum chori diuinis gloriæ hymnis pueri nobis dati natalem diem, angelico concentu celebrare non desistant. [a] Quantum ergo inquit Leo ille diuinus, lætari debet humilitas hominum, cum tantum gaudeat sublimitas Angelorum? Sed ad huius gloriæ & gaudij amplitudinem spectat sanctorum triumphus, clarissima merita, inaudita felicitas, & maiestas. Sicut enim [b] ad Dauidis Encomium attinebat, vt fortium virorum quorum ipse Princeps erat, nomina insigniaq. facta, honorifica mentione colerentur: Dauid sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus, sic post delicati ac tenerrimi Principis [c] nobis nati decantatam gloriam, præclara fortium virorum facinora laudibus sunt efferenda. Hic [d] etenim Rex Regum & Dominus dominantium cœlestes illos Proceres summo vult honore affici, & egregiam illorum victoriam, rerumq. gestarum magnitudinem & splendorem, ingenti Christiani populi lætitia memoria sempiterna cõmendari. [e] Gaudeamus & exultemus (inquit sacer Ioannes) & de-

[a] Leo serm. 1. de natiuit.
[b] 2. Reg. 23.
[c] Esaia. 9.
[d] Apocal. 18. & 19.
[e] Apoc. 19.

& demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi vt cooperiat se Byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sanctorum sunt. Sed enim cum iustorum eximia merita, & præmia in omnium oculis referuntur, ingens est fideli populo causa lætandi. Quòd si cum Sanctorum feriæ, diesque festi aguntur, laudatur [a] Deus in sanctis suis, magnaque fit gaudij & alacritatis accessio; profecto dies hæc haberi debet celeberrima & optatissima, in qua [b] dilecti Ioannis sacratissimum triumphum nobis proponit Ecclesia: Qui cũ æterno Verbo præ aliis dulciter charus & amicus extiterit, magnumq. apud ipsum sit assecutus in cœlis gradum honoris, eius apud nos solemnis memoria in terris summa exultatione debet illustrari. Cum autem huius sanctissimi viri amplitudinem, & gloriam paulo attentius libet contemplari; celebre illud Regis [c] Assueri factum venit in mentem, quod in sacro Ioanne expressum esse cumulatissime video. Is enim Mardochæo illi tantopere de se bene merito, quemq. ipse honoribus prosequi cupiebat, id honoris statuit, vt veste regia ornatus, impositoque Diademate, equo regio in mediam totius ciuitatis lucem veheretur, Aman nequissimo acclamante, Sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare. Nonne & ille de quo dicitur [d], Quo modo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris: vel inuitus acclamare cogitur instar Aman, diuinum Ioannem tali esse dignum honore, & æterna, qua potitur felicitate? Nonne & Diadema super caput eius [e], qui cùm summi doctoratus & virginitatis meritis effulserit, tum præclaræ sapientiæ aureola corona meruit cohonestari: tum sibi alteram non minus insignem obtinuit, debitam scilicet virginitati? Huic enim quia castitate maxime excelluit Christus dominus in suo illo acerbissimo agone [f] charissimam simul & mæstissimam matrem de alta cruce respiciens, tanquam dilecto præ aliis discipulo fide-

[a] Psal. 150.
[b] Ioan. 19. 21.
[c] Esther 6.
[d] Esaiæ 14.
[e] Sap. 5.
[f] Ioan. 19.

fideliter commendauit, virginique discipulo custodiendam virginem sacratissimam tradidit[a]. Nonne & corona etiã aurea[b] de lapideq. pretioso super caput eius expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis? dum immortalem martyrum lauream, & si in tormentis non perierit, comparauit, cum inspectante Roma in ardens oleum demersus diuq. igne cruciatus purior, & vegetior exijt; postea in insulam Pathmos relegatus? Equo etiam regio vehebatur (equus enim Christi regis insignis animi eius dimissio est) qui summa cœlestiq. animi summissione præditus[c] cum nobili esset genere natus, quã ob causam tẽpore Christi cruciatus notus dicitur Pontifici, in pauperum numerum præclarum duxerit cooptari, & diuini magistri inhærens vestigiis[d] cordis discere humilitatem? Princeps quidem ille Regum Christus Iesus cum[e] ciuitatem illam amplissimam magna comitatus caterua Hebræi populi regia acclamatione, incredibiliq. alacritate intrauit, non feroci aut impatienti equo ferebatur, non triumphali curru & armatorum militum manu stipatus, sed asinæ insidens vt admirandum humilitatis nobis exhiberet exemplum. At cum nuptiali thalamo naturam sibi copulauit humanam, & quod[f] numquam fuit humanis oculis visibile, cœpit etiam & manibus esse tractabile, dum se diuinum ipsum verbum, morti tradidit vt totum genus seruaret humanum, regali veste indutum, immensa scilicet dilectione & charitate hominibus se præbuit manifestum, vt memores huius excessus & eximij amoris[g] nos etiam vestiti & non nudi inueniamur, &[h] diligamus etiam quia ipse prior dilexit nos. Nonne & hac veste auro, gemmisque micante B. Ioannem ornatum licet intueri? qui inter reliquos discipulos dilecti meruit sibi nomen & gloriam vindicare? Hic[i] est discipulus quẽ diligebat Iesus[k], Puer Israel, & dilexi eum. Cui enim discipulorũ Christus dominus plura exhibuit signa dilectionis ...

[a] Eccli. 45.
[b] Psal. 20.
[c] D. Hieron. Epist. 16. ad Principiam, to. 1.
[d] Matth. 11.
[e] Matth. 21. Marci 11. Lucæ 19.
[f] Leo serm. 1. de natiuit.
[g] 2. ad Corinth. 5.
[h] 1. Ioan. 4.
[i] Ioan. 21.
[k] Osee 11.

menta virtutũ, quæ non in vno Ioanne cumulata reperiantur? ipse Apostolus, Euãgelista, Martyr, Doctor [a], virginitate potens, prophetiæ dono sublimis, ipse æterno verbo a secretis extitit, ipse [b] ascẽdit in montẽ Thabor, ipse in sacratissima cœnã Christo proximũ locum obtinuit, quippe qui supra pectus Domini in cœna recubuit, ipse Christum interrogat quod alij non audẽt [c]. Domine quis est qui tradet te? In [d] Resurrectione citius Petro præcucurrit, ac denique omnibus amoris & beneuolẽtiæ officijs cõdecoratur. Ex quo quantum Sãctissimus Ioannes charitate flagrauerit, facile erit perspicere. Decebat etenim (Beatissime Pater) vt qui Christianæ Reipublicæ gubernacula (onus Ætna grauius) suscipere debebat, qui puppim regere clauumque tenere, is virtute dilectionis maxime excelleret. Quamobrem Princeps Apostolorum Petrus, prius æquis diligenter ponderibus libratur an charitate superet alios Apostolos, quàm ei Pontificia auctoritas concedatur [e]. Diligis me plus his? pasce agnos meos. Quid aliud rubri isti colores? Quid purpurea vestis, nisi amorem internũ, charitatemque ardentem designant, qua tanquam regali veste ornati Apostolorum successores debent præfulgere? Quod [f] si Ephesi Episcopus egregiis virtutibus excultus acriter repræhenditur apud Ioannem, quòd charitatis feruorẽ amiserit, & illi dicitur, Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam: sin autem veniam tibi citò & mouebo candelabrum tuum de loco suo; quid illi fieret si peccati turpitudine obcœcatus omnino à charitate defecisset? Nec decet solum charitate florere, sed crescere necesse est. Sancta enim illa quatuor [g] animalia, quorum pennæ iunctæ erant alterius ad alterum, in quo illorum charitas designatur, non reuertebantur cum ambularent. Etenim in via domini non progredi regredi est. Quæ [h] retro sunt obliuiscens ad priora extẽdens me ipsum ad destinatum persequar brauium æternæ vocationis. Sed

vt cò

[a] *D. Hiero. de Scriptoribus Ecclesiasticis & lib. 1. aduersus Iouinianum.*

[b] *Matth. 7.*

[c] *Ioan. 13.*

[d] *Ioan. 20.*

[e] *Ioan. vlt.*

[f] *Apoc. c. 2.*

[g] *Ezech. 1.*

[h] *Ad Philip. 3.*

vt eò reuertatur, vnde nostra digressa videtur oratio; merito beatissimus Ioãnes inter duodecim Apostolos cum [a] Iosepho inter duodecim Patriarchas debet comparari: dilectus præ ceteris Ioseph Patri, etiam erga Ioannem insignis fuit indulgentia Redemptoris: vterque exul: & Ioseph castitate insignis, & Ioannes hac etiam virtute sublimis: Iosepho dedit pater partem vnam extra fratres suos, & Ioanni contigit etiam modo quodam excellentiori pars vna extra fratres suos Apostolos, videlicet Prophetiæ donum. Ad hoc enim munus subeundum Ioannes in Apocalypsi [b] ascendit. Vocatur semper ad sublimia Iòannes, siue in monte, vbi [c] specimen Christus aperuit immortalitatis: siue in cœna, dum supra pectus illud recubuit [d], vbi sunt reconditi thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei: rapitur supra seipsum [e], ascenditque in libanum, & medullam cedri tulit; id est interna rerum arcana vt totum orbem suo vaticinio illustraret. Verè Aquila hæc diuina volatu, ascendit [f], dum Verbum esse in principio, & quod Deus erat Verbum contemplatur, & iam capta altissima & nobilissima præda Christi diuinitatis in terris, ea fruitur indissolubili vinculo in cœlis. Et vt ad instar dilecti [g] Beniamin duplicem præ aliis haberet portionem, cum sacer dilectus è vinculis corporis euolauit, mox piè creditur reuocatus a morte, corpore etiam immortali, sicut & beatissima Maria trãslatus in cœlum. Sic inquam (Beatissime Pater [h]) sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare, sic [i] coronabitur qui legitimè certauerit. Hæc sunt illa merita quibus hominum vita breuissimis circumscripta finibus ad infinitam memoriam

[a] Genes. 37.
[b] Apoc. c. 4. Lucæ 9.
[c] Matth. 17. Ioan. 21.
[d] Ad Coloss. 2.
[e] Ezech. 17.
[f] Ioan. 1.
[g] Genes. 45.
[h] Hester 6.
[i] 2. ad Timoth. 2.

O beatiſsime Ioannes, Te ipſum iam hac æterna felicitate fruentem appello, Te ipſum iam æternæ gloriæ trophæis inſignem deprecari non deſinam; vt opem nobis obtineas diuinam, qua rerum cœleſtium cupiditate mirabiliter inflammati, ſic vitam hunc noſtram mortalem inſtituamus, vt eiuſdem gloriæ participes effecti, immortali in æternum perfruamur.

DIXI.

ORATIO
SIVE CONCIO HABITA
IN DIE DIVI IOANNIS EVANGELISTAE

IN CAPELLA PONTIFICIA SVB S. D. N. Innocentio IX. P. M. per Didacum di Castillo Salmanticen. Doctorem Theologum.

COnstituerat B. P. summus ille rerum opifex Deus hominem, quem suam effigiem multo consilio expressam esse voluit, in eo honoris & dignitatis gradu, vt in omnia, quæ infra cælum sunt, regiũ principatum teneret, pauloque [a] minor ab Angelis effectus gloria & honore incredibili, omnes sibi subiectas naturas continens, earum virtutibus quasi coronatus incederet. Sed cum hæc erga ipsum apparerent, diuinæ beneficentiæ & largitatis argumenta [b], prima illa peccati labe coinquinatus est, quæ repens ac serpens per omnium quasi stirpium radices [c], fructus vitiauit vniuersos, totamque lætali veneno naturam infecit. Ex quo illa abiecta humique prostrata suũ splendorẽ & gloriam obscurauit, homoque miser e gradu illo dignitatis, quem paulo ante summa cum laude obtinuerat deturbatus [d], cõparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis [e]. Optabat propterea vehementer Sponsa ab hac sibi inusta infamiæ

Gene. 1. & 2.
a Psal. 8.
b Genes. 3.
c Rom. 5.
d Psal. 8.
e Expositio illius loci cãt.

carnis peccati incommutabilis Deus a cælo [a] peregre in huius mundi agrum profectus foras [b] ex Augustissimo thalamo virginis egrederetur [c], pannis quæ inuolutus inter arcta conditus præsepia vagitus ederet, sugeretque vbera matris, per [d] quem nec ales esurit; & hominum [e] frater factus homo [f] in terris conspiceretur, atque inter homines familiariter versaretur. Optabat deinde solum diuinum Verbum foris inuenire, non Patrem, nec Spiritum sanctum (solum inquam) quoniam ad subsistentiam solius Verbi natura humana euecta est; ac denique ipsum deosculari exoptabat, vt [g] vtraque natura in suis proprietatibus permanente, tanta fieret vnitatis communiq; vt quicquid ibi est Dei, non esset ab humanitate disiunctum; quidquid autem est hominis, non esset a Deitate diuisum: & [h] iam, inquit, fiet, vt nemo me despiciat [i]; Ad tantam etenim gloriam, & maiestatē assumpta est in diuino Verbo humana natura, vt quo altius attolleretur non haberet. Ideo in hoc solemni triumpho humanæ naturæ, in hac die lætitiæ, in qua licet oculis intueri Diuinum illum Regem [k] Salomonem diademate insignitum, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius [l]; Angeli, imo & Angelorum exercitus suauissimo concentu, & harmonia modolantes, cælo gloriam, & terris pacem exaudiuntur: stella [m] nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior aliis pulchriorque syderibus facile in se intuentium oculos, animumque conuerteret: qua [n] sapientes Reges ad præsepe ducti, nullo iniqui Regis timore perculsi ad pedes eximiæ illius humanitatis prostrati, preciosissimaque munera offerentes diuinum illi exhibent honorem: vt verè dictum sit, *Quod iacebat in præsepio, & fulgebat in cælo*. Et iam nemo [o] me despiciat. Non tantum quoniam humana natura in Christo maximum splendorem & gloriam assecuta est, sed etiam quoniam toti hominum posteritati à suauissimo Dei filio magna cælestium bonorū honoris & dignitatis incremēta,

a Matth. 25.
b Cant. 8.
c Lucæ 2.
d Sedulius de Christi natiuitate.
e Paulus ad Heb. 2. nam nō cōfunditur fratres nos vocare quia ipse dicit nuntiabo nomen tuū fratribus meis. Psal. 21
f Baruch. 3. & Ioan. c. 1.
g D. Leo. ser. 8. de natiuitate.
h Cant. 8.
i D. August. in lib. de prædestinat sanctorum.
k Cant. 3.
l Luçe 2.
m D. Leo ser. 1. de Epiph.
n Matth. 2.
o Cant. 8.

tanquam

tanquā á perenni bonorum omniū fonte, sunt ita affluenter naturæ cōmunicata, vt [a] vbi abundauit delictum superabundauerit & gratia. Quod in vno sanctissimo Ioanne, cuius festum hodierna die aniuersario ritu celebrat Ecclesia, comtemplari possumus expræssum. Ipse enim & Apostolorū dignitatem, & Euangelistarum gloriam, maximamque auctoritatē adeptus: Martyrum corona insignitus, diuinique Doctoris nomē, Propheticumque lumen consequutus, meruit etiam Virginū aureola omniumque gratiarū genere amplificari [c]: Dedit siquidem Christus quosdam Apostolos, quosdam autē Prophetas, alios vero Euangelistas, alios vero Pastores & Doctores ad cōsummationē Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: sed hæc omnia cælestia dona in vno dilecto Ioanne Christus cumulatissime coniunxit. Cuius animus in diuino illo Christi pectore, tam eximium amorem ebibit, ea sibi Christum Ioannes charitate deuinxit, vt cōmuni omnium acclamatione diceretur Discipulus [d] quem Dominus diligebat. Nec mirū, nam si in amore & beneuolētia mutuā animi cōiunctionē expectes, ipse supra pectus [e] Domini in cæna recubuit: magnū certe amoris & charitatis monimētum in celebri illo, & grandi conuiuo, in quo sacrum Mysteriū, & admirabile [f] Sacramentum est institutum, sic esse Christo proximum ac coniunctū. Non audet [g] Baptista sacrū Domini caput contingere [h], Magdalena cum timore & tremore sacros pedes tāgit [i], Thomas, nisi iussus, manum non admouet ad latus; Ioānes autē vt dilectus non petita venia in [k] sinu Christi recūbit. Si in amore voluntatū cōsensum cōsideres, ipse ad Domini [l] vocātis

[a] Roma. 5.
[b] D. Hiero. lib. 1. aduersus Iouinianum prope mediū.
[c] Ephes. 4.
[d] Ioan. 13. 20. & 21.
[e] Ioan. 13.
[f] Matth. 26.
[g] Matth. 3.
[h] Lucæ 7.
[i] Ioan. 20.
[k] Ioan. 13.
[l] Matth. 4.

tiæ copiam fuisse consequutum? Si amorem summum excitat pro amico aduersa tollerare, nam [a] qui amicum posſidet in tentatione debet eum posſidere, Ioannes [b] astitit iuxta crucem Christo morienti, exilium in insula Pathmos pro Christo, fideque suscepit, acerbum ac lætale poculum lætus [c] ebibit, doliū feruentis olei incredibi virtute superauit. Si denique beneuolentiæ signū est occulta atque arcana aperire, quæ Christus apatre didicit, & [d] nō seruis sed Apostolis magna sibi familiaritate cōiunctis Christus libentiſsime credidit: dum tamen omnes velut ventorum turbine pro cognoscendo magistri sui proditore solliciti agitarentur [e], eum soli Ioanni indicauit. Neque hoc tantum, sed dum supra pectus recubuit, in quo sunt reconditi thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei, quam scientiam hausſit, quàm variam, sublimem, diuinā? Iam non miror. P.B. si [f] reconditum Trinitatis mysterium præ omnibus expresſit. Aquila enim, teste Ezechiele [g], erat desuper ipsorum quatuor, si abditisſimum Dei consilium de futuro Ecclesiæ statu per varia temporum curricula vsque ad extrema, cælesti quodam lumine illustratus edidicit atque descripsit, librum siquidem sapientiæ, immo & sapientiam ipsam deuorauit, id est mente & cogitatione percepit. Habebat etenim magnus consilij Angelus [h], quem Ioannes vidit, nube scilicet humanitatis amictū, & iris arcus propitiationis in capite eius, quia Deus [i] erat in Christo mundum reconcilians sibi, habebat inquam in manu librum scientiæ & præscientiæ Dei: quo (vt sibi impositum fuerat deuorato) [k] impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, ipsumque dulcedine quadā sicut mellis, dum in ore eius esset affecit [l]: dulcia enim faucibus eloquia Dei sicut mel

[a] *Ecclesi.6.*
[b] *Ioan.19.*
[c] *Hiero.lib.1. aduersus Iouinianum refert hoc ex Tertuliano.*
[d] *Ioan.15.*
[e] *Ioan.13.*
[f] *Ioan.1.*
[g] *Ezechiel.1.*
[h] *Exponitur caput. Apoc. 10.*
[i] *1.Corint.5.*
[k] *Esaiæ.11. Ecclesiast.15.*
[l] *Psal.118.*

angi ſicut Ezechieli dictam fuiſſe legimus, dum etiam alium ſapientiæ inuolutum librũ deuorauiſſet [a]: Abij, inquit, amarus indignatione ſpiritus mei: venterque ibi intellectũ ſignificat. Nam ſapientia dicitur [b] pulchra, cum in ventre accipitur, & Chriſtus [c] ex vtero Patris, id eſt, mente paterna, ante luciferum dicitur genitus. Hoc igitur diuinæ ſapientiæ libro educatus ſanctiſsimus Ioannes tantam, Diuinarum, futurarum quæ Eccleſiæ rerum cognitionem acquiſiuit, vt omnes ab eius ore penderẽt, dum in Inſulã Pathmos relegatus plurimos ſuauiſsimo ſuo ſermone deliniret, doceretque vitæ perbreuem eſſe curſum, gloriæ ſempiternũ eorũ, qui cucurrunt poſt vnguentorum odorem, & Chriſto nomen dederunt: Gentes ibi immanitate efferatas emoluit, imperitas erudiuit, ſuperſtitiones decerpſit, inſerenſque religionem, aperuit iter ad cælum, ac deniqué laborum perpeſsione clarus ſe totum Deo tradidit & cõſecrauit, vt cæleſti aurea corona, eaque præſtãtiſsima donaretur [d]. Regnum etenim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, nec vllo alio pretio ait D. Auguſt. [e] quam te ipſo poteris cõparare: Te da & habebis illud. Chriſtus Ieſus æterni Patris Filius ſemetipſum tradidit, vt Te in Regnũ Deo Patri acquireret, & Tu teipſum da, vt ſis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitionem vitæ.

[a] Ezechiel. 3.
[b] Eccleſiaſt. 2.
[c] Pſal. 109.
[d] Matth. 11. Lucæ 6.
[e] D. Auguſt. in ſermone. 2. de omnibus ſanctis.

DIXI.